

ea devenisse. Cum igitur tot tantisque innixa rationibus, quæ gesta a Paschalico fuerant, Gregorius ac Philippus cognovissent, quin Reipublicæ causam & factum probarent, efficere nequivere. Proinde a querimoniis ad postulata transgressi, a Senatu petunt, ut iis, quæ acta fuerant, exemplo in posterum Melitensibus futuris, contentus, in eorum gratiam religioni triremes restituat, captivos Equites condonet, ea lege, ne posthac orientis maria excurrant, aut in navigia Veneta inquirant. Ea cum sæpius enixe a Pontifice ac Rege efflagitarentur, tandem, ut amicis Principibus gratificaretur, tradendas triremes, liberandos captivos Senatus censuit. Eo facto & Melitensem insolentia atque audacia repressa & Reipublicæ clementia ac benignitas est patefacta; virtute devictis magnanimitate parcitum.

Melitenses
triremes
redduntur
captivi
equites li-
berantur.

Hujus anni æstate Annas, Jojeusæ Dux, Galliæ Regis affinis (frorores e Lotharingia familia connubio sibi ambo junxerant) visendæ urbis studio Venetias accessit. Ob necessitudinem, quæ illi cum Henrico intercedebat, haud vulgaribus honoribus est excultus. Duo, qui e patricia juventute ab ejus latere non discederent, dati, Benedictus Georgius, Augustinus Nanius, rebus maritimis procurandis magistratu ambo functi. Annas ipse summo Reipublicæ consensu (cum id vehementer se cupere significasset petiissetque) a majoribus comitiis patricia nobilitati est adscriptus, iisque interfuit. Anni exitum Cardinalium cooptatio nobilitavit: novem ac decem doctrina, rerum usu, stemmate insignibus amplissima dignitas a Gregorio Pontifice Maximo est attributa; inter quos Augustinus Valerius, Veronæ Episcopus, fuit, vir literis, moribus, religione, atque egregia vitæ sanctitate conspicuus; qui cum prima juventa Senatus jussu philosophiam Venetiis esset interpretatus, mox ad ecclesiasticum vitæ genus conversus, magnam de se virtutis atque innocentiae famam excitaverat.

Annae Jo-
jeusæ Du-
xis ad Ve-
netias ad-
ventus.

Cardina-
lium in-
signis electio.